

habendi certum locum in Ecclesia, ut pro esset si a loco jam quaesito amoveretur. — 24. Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum etiamsi amovens esset Administrator. — 25. Si antiqua forma Ecclesiae immutetur in aliam structuram, sedilia Laicorum in illa existentia, reponi debent eodem ordine quo reperiuntur ante immutationem fabricae, vel in loco aequo digno. — 26. Jus habendi talia sedilia, vel sepulcra in Ecclesia concessum alicui familiae vel descendenti, extincta familia transit ad haereditate extraneos, nisi taxative concessum fuisset illis de familia duntaxat, vel solis descendenti. — 27. Sedilia non possunt in Ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora orientur. — 28. Strata ad Ecclesias sibi deferri facere, nemini sub gravibus penis licere declaratur, exceptis duntaxat Personis Regalibus. — 29. Affertur decretum generale Sac. Rit. Congr. prohibens laicis osculum Evangeliorum intra missam, usum Baldachini in Ecclesiis, et assistentiam in Presbyteriis. — 30. Affertur quoad hoc aliud decretum generale. — 31. Hinc eadem Sacra Congregatio mandavit aptandum esse locum Magistratui extra Presbyterium juxta designationem porrectam a Magistro Cereemoniarum, non obstante quod Magistratus reperiri in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. — 32. Magistratus Laicus non potest in Ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus. — 33. Affertur quoad haec varia resoluta dubia. — 34. Affertur quoad haec et alia varia decreta. — 35. Quae decreta, non obstante quod partes reclamarent, fuit sancitum esse omnino observanda. — 36. Qualis honor debeatur Praelato Praesidi Provinciae declaratur. — 37. Dedicatio Ecclesiae Festum potest ab Episcopo ex justa causa transferri in alium diem magis congruum ab evitanda concurrentiam alienorum Officiorum. — 38. Sanctis antiqui testamenti possunt dedicari Ecclesiae. — 39. Musica est de Jure permissa in Ecclesia. — 40. Episcopus potest prohibere, quod in Ecclesia non canantur in Musica nisi verba sacra, devota et Ecclesiastica. — 41. Episcopus potest prohibere non obstante quacunque in contrarium consuetudine, ne in Ecclesiis, et Oratoriis publicis canatur Musica, lingua vernacula, quantumvis cantuunculae, et verba spiritualia sint. — 42. Episcopus non potest prohibere Musicis, neque Officialibus Ecclesiarum, quod Musicam non canant nisi vocato Magistro Capellae Cathedralis. — 43. Est decretum generale S. C. esse tolerandam Musicam

Ecclesia potest capi dupliciter, scilicet in sensu morali, prout nempe significat Coetum, Conventum, Collectionem, aut Congregationem hominum, quo sensu Ecclesiam saepe accipit Scriptura, ut *Psal. 25. Odivi Ecclesiam malignantium, et Psal. 88. Laus ejus in Ecclesia Sanctorum, et Matthaei 5. Convenit Ecclesia magna, et ad Romanos 16. Salutant vos omnes Ecclesiae Asiae, et alibi passim, quo sensu etiam cuncti Fideles sub uno in Terra Capite, id est Papa, existentes vocantur Ecclesia, ut patet in cap. *Ecclesia 7. de consecrat. dist. 1. ibi: Ecclesia, id est Catholicorum Collectio.* Et potest capi pro ipsa Ecclesia materiali, scilicet pro Templo aliquo manufacto, seu Aede publica cultui Divino deputata, in quo Fideles ad colendum et invocandum Deum, Divina administranda et percipienda conveniunt. Unde de Ecclesia utroque hoc modo sumpta breviter erit sermo, et in primis de Ecclesia in sensu morali capta.*

in Ecclesia exteriori Monialium praesertim in quibusdam Festis principalibus, ubi est talis consuetudo, ubi vero consuetudo non adest, non esse de novo concedendam. — 44. Propter Ecclesiae reverentiam possunt expelli artifices prope illam obstrepentes, ac Personae infames, et sordidae ejus Divina Officia perturbantes. — 45. Stabulum prope Ecclesiam construi prohibetur. — 46. Competit Ecclesiae privilegium removendi stabulum, aliave loca sordida, tam ratione fetoris, quam indecentiae. — 47. Et praecipue si supra stabulum sit etiam aedificatum foenile, quod sit contiguum, vel annexum Ecclesiae, vel Monasterio. — 48. Datur hic Epistola Encyclica ad universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et alios Italiae, Insularumque adjacentium Ordinarios jussu Clementis XI conscripta, qua illis veneratio, ac reverentia Ecclesiis debita impensissime commendatur. — 49. An possint in Ecclesiis fieri ludi Theatrales, et Repraesentationes, seu comediae? *ad. n. 52. — 53. 55.* Citantur Auctores de Juribus honorificis, quae in Ecclesia Laicis praestari debent.

ARTICULUS VI. — *Ecclesia quoad ejus naturam, status varios, praerogativas ac regimini formam.*

1. 11. Generalis Ecclesiae notio. — 12. 14. Ecclesia Christi dupliciter sumi potest, secundum latam, et strictam significationem. — 15. 18. De Ecclesia priori modo accepta. — 19. 23. Divinae Providentiae cura in regenda Ecclesia in statu legis naturae. — 24. 31. Et in statu legis scriptae. — 52. 42. Novatorum haereses circa definitionem Ecclesiae strictae sumptae. — 43. De Notis Ecclesiae. — 44. 52. Ecclesia est Visibilis. — 53. 55. Notae Ecclesiae sunt omnibus obviae. — 56. Ecclesia est Una. — 57. Sancta. — 58. Catholica. — 59. Apostolica. — 60. 67. Quatuor istae Notae in sola Romana Ecclesia conspiciuntur. — 68. 72. Quanam reperiantur in Ecclesia. — 73. 76. De iis, quos Ecclesia e sinu suo excludit. — 77. 79. De Ecclesiae indefectibilitate. — 80. 85. — De Infallibilitate. — 84. De Primatu Romani Pontificis.

ARTICULUS VII. — *Ecclesia materialis quoad ejus antiquitatem.*

1. De Origine Ecclesiarum. — 2. Christiani initio habuere loca ad res divinas peragendas determinata. — 3. Alexandri Severi tempore publicam Ecclesiam habuerunt Christiani. — 4. Diluuntur difficultates. — 5. De antiquissimo ornamentorum usu in Christianorum templis.

ARTICULUS I.

Ecclesia in sensu morali capta, quoad ejus esse, et principales notas.

(1. Ecclesia est nomen graecum, quod significat evocationem, seu coetum vocatorum. Hinc usurpatur a nobis ad significandum coetum Fidelium, et aptissime nomine vocationis coetus Fidelium appellatur, quoniam ad coetum Fidelium nemo se instinctu proprio adjungit, sed Coelesti admonitus vocatione. Ecclesiae nomen aliquando sumitur generaliter, aliquando particulariter. (2. Nomen Ecclesiae sumptum generaliter est quid commune ad Ecclesiam *Triphantem*, quae est coetus in Coelis regnantium, sive hominum, sive Angelorum; ad Ecclesiam *Patientem*, quae est Congregatio hominum in igne pro purgandis peccatorum reliquiis probatorum; et ad Ecclesiam *Militantem*, quae est adunatio Christianorum contra salu-

tis hostes pugnantium. (3. Nomen Ecclesiae sumptum particulariter significat tantum Christi Ecclesiam Militantem; et Ecclesia sic sumpta, de qua solum in praesenti est sermo, sic definitur: (4. « Ecclesia est Congregatio, seu Coetus visibilis Baptizatorum sub uno Capite Christo in Coelis, et Romano Pontifice ejus Vicario in Terris, inter se in eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione colligatorum (1). » Est in re communis. Dicitur primo, *Congregatio*, seu *Coetus visibilis*, quia ut dicitur in *Ps. 18. In sole posuit Tabernaculum suum*, quod ibi de Ecclesia intelligit S. Augustinus dicens: « In sole posuit Tabernaculum suum, hoc est in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. » Et idem habet in *Epistola 166. ad Donatistas*: « Ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione, omnibus nota, usque ad terminos terrae. » (5. Dicitur secundo, *Baptizatorum*, quia nullus est Ecclesiae membrum, aut intrat Ecclesiam, nisi per Baptismum, qui est porta unica, et omnibus communis. (6. Dicitur tertio, *sub uno Capite Christo*, quia Deus ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, ad *Ephes. cap. 1, et cap. 3. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae.* (7. Dicitur quarto, *et Romano Pontifice ejus Vicario*, quia solus Romanus Pontifex est verus Christi Vicarius, et contraria opinio Lutheri fuit tamquam haeretica proscripta a Leone X. Constituitur. incip. *Exsurge*, et est Lutheri error 23. ibi: « Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro constitutus: » tum quia ipsi in persona Petri dixit Christus Joan. 21. *Pasce Oves meas*, et licet spectet etiam ad hos Episcopos, aliosque Pastores regere Ecclesiam, hoc tamen est cum subordinatione ad Romanum Pontificem. (8. Dicitur quinto, *in eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione*, quia sicuti Ecclesiae membra sub uno et eodem Capite nempe Christo vivunt, sic eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione debent ipsum colere. (9. Dicitur sexto et ultimo, *inter se colligatorum*, quia non sufficit ad veram Congregationem, seu Coetum, qualis est Ecclesia, sola multitudo, sed requiritur insuper aliqua communicatio per preces, Charitatem, etc., ut verificetur Sanctorum Communio.

(10. Ad hanc Ecclesiam spectant non solum praedestinati, ut praetendunt Wicelista, Hussita et Calvinista, sed etiam reprobi,

(1) Non displiceret, si in hac definitione adderetur, et legitimum Pastorum regimine; immo probarem maxime, quod mentio haec Pastorum, a quibus Ecclesia regatur, ac praecipue Romani Pontificis Laonijum videam in Epistola ad Nicolaum Gatinaeum offendi, veluti re, de qua, ait, silere quotquot a Christo ad Concilium usque Tridentinum, et a Tridentino ad aetatem usque Bellarmini et Canisii Ecclesiam definire, aut describere: *istud enim*, inquit ille, *Pastorum regimen ad statum Ecclesiae pertinet, non vero ad Ecclesiae naturam et essentiam.* Sed egregie fallitur; militantis enim in praesenti statu Ecclesiae

cum isti, sicut illi, possint Christi Fidem profiteri sub uno Capite, et de facto Christus, Joan. 10. *Ecclesiam comparavit Ovili, in quo sunt Oves et hadi: et Matthaei 13, ipsam Ecclesiam comparavit Agro, in quo est bonum semen, et zizania;* Item *Matthaei 25, Ipsam comparavit decem Virginitibus, ex quibus erant quinque prudentes, et quinque fatuae, ex quibus dantur intelligi praedestinati et reprobi.* (11. Sic etiam ad hanc Ecclesiam spectant non solum justi, et perfecti, qui nullum habent peccatum, ut praetendunt Pelagiani, sed etiam ipsimet peccatores, quia per hoc, quod aliqui peccent peccato furti, homicidii, et hujusmodi, non rejiciunt propterea fidem Christi, aut Ecclesiae subjectionem.

(12. Ad hanc tamen Ecclesiam non spectant, sed ab ipsa excluduntur Pagani, Turcae, Judaei, qui numquam ad veram Fidem venerunt; unde Apostolus 1. *Ad Corinth. cap. 3, ait: Quid mihi de his qui foris sunt judicare? id est de infidelibus.* (13. Excluduntur etiam Catechumeni, qui licet sint Fideles possintque, si sic moriantur, salvari ratione Baptismi in Voto; tamen cum nondum Baptismum receperint, inter actualia Ecclesiae membra non numerantur, quia juxta Concilium Florentinum, et Sanctos Patres, homines fiunt de corpore Ecclesiae, cum baptizantur; unde Catechumeni non ligantur Ecclesiae Constitutionibus, et si revertantur ad Paganismum, aut Hebraismum, non possunt ut Apostatae haberi ac puniri. (14. Item excluduntur Haeretici, et a Fide Apostatae; cum enim ipsi veram fidem non profiteantur, nequeunt esse de corpore Ecclesiae, quae est Congregatio Fidelium ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter, de Summa Trinitate*: et ideo in Concilio Niceno cap. 8, dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redeant, quod signum est manifestissimum ab ea fuisse separatos. Et quamvis Ecclesia possit ipsos judicare, et punire, hoc non est, quia sint sua membra, et de suo corpore, sed quia debent esse, uti jam fuerunt, et ab ea sponte, et culpabiliter recesserunt. (15. Item excluduntur Schismatici, quia, licet idem credant, ac nos, ubi non sunt praecise Schismatici, per hoc tamen, quod unionem non habent cum capite, nec locum habere possunt in corpore. Hinc Ecclesia in die Parasceve orat pro Haereticis et Schismaticis, ut Deus ad Ecclesiam eos revocare dignetur. (16. Item excluduntur Excommunicati, quia ex quo privantur omni commercio spirituali, quod habent Ecclesiae membra inter se, non cen-

tradenda nobis definitio est, quam Lutherani et Calviniani suis coetibus et synagogis Satanae accommodare nequaquam possint; neque ulla definitionis hujusmodi pars minus ab illis usurpari posset, quam quae legitimum Pastorum sub uno Capite Romano Pontifice mentionem ingerit. Adde, Bellarmino, et caeteris hac in re aperte praevissis S. Cyprianum Ep. 69, ad Pup. ubi Ecclesiam definit. *Plebem sacerdoti adunatam, et Pastori suo gregem adhaerentem.* Vide Tournellium de Eccl. q. 7, art. 2. (EPI. BARBIEL.)

sentur cum aliis colligati, textu expresso in c. *Omnis* 32, caus. 11, quæst. 3, ibi: « Omnis Christianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, » et S. Augustinus lib. *de unitate Ecclesie* c. ult. ait: « Excommunicari est visibiliter præscindi ab Ecclesia. »

(17. Una, et eadem substantialiter, et formaliter est Ecclesia Legis gratiæ, ac Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ. Est communis inter Catholicos. Et ratio est, quia unum, et idem objectum Fidei, Christus nimirum, semper fuit ab exordio mundi creditum usque ad præsens, et credetur ad usque consummationem sæculi; cum hæc solum differentia, quod juxta diversitatem temporum magis, et minus explicite creditum fuerit hoc unum, et idem objectum Fidei; magis enim explicite fuerunt multa credita tempore Legis scriptæ, quam tempore triusque, et Legis naturæ scilicet, et scriptæ ita crederentur, ut egregie ad rem habet S. Augustinus in tract. 45 in Joan. n. 9, ibi: « Ante adventum Domini Nostri Jesu Christi, qui humilis venit in carne, præcesserunt justi; sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non Fides, quia et ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur; aliam sonum habet *venturus est*, alium sonum habet *venit*, mutatus est sonus *venturus est, et venit*, eadem tamen Fides utroque conjungit, et eos, qui venturum esse, et eos, qui venisse crediderunt, diversis quidem temporibus, sed utroque per unum Fidei Ostium, hoc est per Christum videmus ingressos; » et ad hoc propositum adducit Apostol. 2 ad Corinth. 4. dicentem: *Habentes eundem spiritum Fidei*; adeoque una, et eadem substantialiter, et formaliter est Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ, ut clare etiam constat ex diversis statibus vitæ hominis; sicut enim est idem numero homo, et quando est infans, et quando adolescens, et quando juvenis, et usque ad finem vitæ; sic eadem omnino est Ecclesia in diversis statibus eandem substantialiter, et formaliter identitatem servans cum Ecclesia Legis naturæ comparetur infantiæ hominis, Ecclesia Legis scriptæ Adolescentiæ, et Ecclesia Legis gratiæ Juventuti, et maturitati usque ad finem vitæ. Hinc firmiter tenendum est tres dictas Ecclesias non formaliter, sed materialiter tantum fuisse, et esse distinctas, adeoque unam tantummodo, et essentialiter et formaliter esse, cum quælibet per eandem Fidem in Christum, sive ante Incarnationem, ut Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ, sive post Incarnationem, ut Ecclesia Legis gratiæ sibi paraverit, et parat aditum ad salutem, ut expresse docet S. August. in Psalm. 104, n. 10, ibi: « Non enim quispiam præter istam Fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus Incarnationem, sive postea reconciliatus est Deo. »

(18. Notæ præcipuæ, per quas hæc no-

stra vera Ecclesia discernitur a falsis, sunt quatuor, scilicet quod sit *Una, Sancta, Catholica, et Apostolica*. Est communis inter Fideles, cum sit articulus Fidei definitus in Conc. Constantinopolitano, et Fidelibus omnibus credendus propositus in Symbolo, quod in Missis recitatur, et habetur etiam expresse in cap. *Unam, Sanctam, de Majorit. et Obed. inter Commun.* ibi: « Unam, Sanctam, Ecclesiam Catholicam, et ipsam Apostolicam urgente Fide credere cogimur, et tenere, Nosque hanc firmiter credimus, et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum. » (19. Prima igitur veræ Ecclesiæ nota est, quod sit *Una*, quod verum est, non solum de Ecclesia Legis gratiæ, sed etiam ut consideratur, ab initio mundi usque ad consummationem sæculorum, ita ut credentium universalitas, quæ fuit in Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ, et Legis gratiæ, semper eadem fuerit, et sit essentialiter, ut fuit ostensum sub n. 17. Hanc Ecclesiæ unitatem insinuat Scriptura variis locis. *Cantic. 6*, dicitur: *Una est Columba mea*, quod de Unitate Ecclesiæ interpretatur S. Aug. tract. 6, in Joan. ibi: « Quid evidentius, Fratres mei, in Columba Unitas, in linguis gentium Societas... Unde debuit ergo, charissimi, demonstrari Spiritus Sanctus Unitatem quamdam designans, nisi per Columbas, ut pacatæ Ecclesiæ diceretur: *Una est Columba mea?* » Et de Ecclesiæ unitate intelligitur etiam in cit. cap. *Unam, Sanctam, de major. et obed. inter commun.* ibi: « Sponso in Canticis proclamante *Una est Columba mea*, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ, quia unum Corpus mysticum repræsentat, cujus caput Christus, Christi vero Deus, » et Ps. 21, dicitur: *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicum meam*, quod de nostræ veræ Ecclesiæ unitate intelligitur in d. c. *Unam, Sanctam*, ibi: « Hanc autem veneramus et unicum, dicente Domino in Propheta, *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicum meam*, pro anima enim, id est pro se ipso capite simul oravit, et corpore, quod corpus unicum scilicet Ecclesiam nominavit, » et Joan. 10, dicitur *Unum Ovile*, et Ephes. 4, dicitur *Unum Corpus*.

(20. Unde hæc Ecclesia variis titulis est *Una*. Primo est una unitate principii, scilicet Dei vocantis, et Christi fundantis, et ideo dicitur ad Ephes. 4. *Unus Dominus*. II. Unitate Capitis: sicut enim unum est Ovile, ita est unus Pastor, ut dicitur Joan. 10. III. Unitate conjunctionis, et ideo dicitur 1 ad Corinth. 10. *Unum Corpus multi sumus*, et Act. 4. *Credentium erat cor unum, et anima una in Domino*. IV. Unitate Fidei, ut habetur ad Ephes. 4. *Una Fides*, et ibid. *Donec occurramus omnes in Unitatem Fidei*. V. Unitate mediourum ad hæreditatem Fideles perducentium, tum internorum, quæ sunt Fides, Spes, Charitas, tum externorum, quæ sunt Sacramenta, et ideo ad Ephes. 4 dicitur *Unum Baptisma*, quod est reliquorum janua et fundamentum. VI. Unitate Sacri-

ficii, ut dicitur 1 ad Corinth. 10. *Omnes, qui de uno pane participamus*. VII. Unitate Doctrinæ, de qua loquens S. August. dicit: « Qui volunt unam linguam veniant ad Ecclesiam, quia in diversitate linguarum carnis, una est in Fide lingua cordis. » Unde S. Irenæus de unitate Fid. cap. 3, sic ait: « Neque quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lydia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ; sed sicut sol Creatura Dei in universo Mundo unus, et idem est; sic et lumen, et prædicatio veritatis ubique lucet. »

(21. Secunda nota veræ Ecclesiæ est, quod sit *Sancta*. Unde *Cantic. 6*, dicitur: *Ecclesia decora Columba, pulchra ut Luna, electa ut Sol. Epist. 1. Petri c. 2*, dicitur *Gens Sancta*; Et ad Romanos cap. 1. *Omnibus, qui sunt Romæ... vocatis Sanctis*. Unde pluribus titulis dicitur *Sancta*. (22. I. Propter Sponsum Christum, qui est *Sanctus Sanctorum*. II. Quia in eam nullus ingreditur, nisi per Baptismum ablutus, et sanctificatus, 1 ad Corinth. cap. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis*. III. Propter Christi mortem: Ad hoc enim Christus passus est, ut Ecclesiam suam sanctificaret, ut dicitur c. 5, ad Ephes. ibi: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, et ad Hebræos cap. 13: Jesus, ut sanctificaret Populum per sanguinem suum, extra portam passus est*. IV. Propter ejus Leges, præcepta, Sacramenta et doctrinam, quæ omnia sanctitatem redolent, et eo teadunt, ut Sancti efficiamur. Unde Psalm. 18, dicitur: *Lex Domini immaculata convertens animas; ad Ephes. cap. 1*, dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, et immaculati in conspectu ejus*. V. Quia extra illam nulla Sanctitas esse potest, dicit enim S. August. lib. de Baptismo contra Petilianum c. 16, sic: « Intra istam arcam (Catholicam Ecclesiæ,) boni et mali esse possunt; extra eam boni esse non possunt. »

(23. Tertia nota veræ Ecclesiæ est, quod sit *Catholica*, id est Universalis. I. Ratione loci, quia per totum Orbem diffusa, et ideo Ps. 18, dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines Orbis Terræ verba eorum*; Et Marc. 16. *Euntes in mundum universum etc.* Et S. August. *Epist. 52. ad Severinum* num. 1. dicit: « Ipsa enim est Ecclesia Catholica, unde Græce appellatur, quod per totum Orbem Terrarum diffunditur, » et *Epist. 140. ad Honoratum* num. 43. ait: « Ecclesia illa est, quam modo dicit unicum suam, hæc est unica Catholica, quæ toto Orbe copiosa diffunditur, quæ usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur. » II. Ratione personarum, quia vocat, et recipit homines cujuscumque nationis, status et conditionis, si velint Evangelio obedire, et salvari. Unde Marci 16, dicitur: *Prædicare Evangelium omni Creaturæ*. III. Ratione temporis, quia fuit ab initio mundi, et durabit usque ad finem per omnia tempora. Hinc Daniel. 2 dicitur: *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod*

in æternum non dissipabitur. IV. Ratione communis consensus populorum etiam inimicorum, eam Catholicam appellantium, ut observat S. August. de vera Religione cap. 7. ibi: « Tenenda est nobis Christiana Religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, et Catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis, velint, nolint: ipsi enim quoque Hæretici, et Schismatici alumni, quando, non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. » Et idem S. August. in cap. 9. *Joan.* sic dicit: « Multa sunt, quæ in gremio Ecclesiæ me tenent; tenet me consensus populorum, tenet Auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet successio Sacerdotum ab ipso Petro, tenet denique ipsum Catholicam nomen, quod ita inter tot Hæreses Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam Ecclesiam conveniatur, nullus Hæreticorum Basilicam suam audeat ostendere. »

(24. Quarta nota veræ Ecclesiæ est, quod sit *Apostolica*, et dicitur Apostolica tribus potissimum de causis. 1. Quia fundata est a Christo, qui ad Hebr. 3. dicitur Apostolus confessionis nostræ. Et quod Christus Auctor, et fundamentum nostræ Ecclesiæ sit Apostolus, clare patet, quia Apostolus idem est ac missus, Christus autem missus est a Patre ad homines edocendos et redimendos, Joan. 20. ibi: *Sicut misit me vivens Pater, etc.* 2. Quia fuit per Apostolos propagata et firmata. Unde ad Eph. 2. dicuntur fideles *superædificati super fundamentum Apostolorum, et ad Romanos 10. ex Psalm. 18. dicitur: In omnem terram exivit sonus eorum*; et doctrinam ab ipsis Apostolis receptam semper integram et incorruptam retinuit, et retinebit. Unde ad Galatas 1. dicitur: *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. 3. Quia ab ipsis Apostolis usque ad nos per continuam virorum Apostolicorum successionem descendit. Unde S. August. lib. contra Epistol. fundamenti cap. 4. dicit: « Tenet me in gremio Ecclesiæ ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas Oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. »

(25. Sola Ecclesia Romana Catholica habet notas veræ Ecclesiæ Christi, et in ipsa sola potest obtineri salus, et nullus extra ipsam salvatur. *Est de fide*, et habetur expresse tota conclusio in cap. *Unam sanctam, de Majoritat. et Obedient. inter communes*; ibi: « Unam, Sanctam Ecclesiam Catholicam, et ipsam Apostolicam, urgente Fide, credere cogimur et tenere. Nosque hanc firmiter credimus, et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, » et ibi est sermo de sola Ecclesia Romana Catholica, ut expressis verbis ibidem in § final. declaratur ibi: « Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creatu-

ram declaramus, dicimus, definimus, et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. » Et habetur etiam definitum in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. in c. *Firmiter 1. de summa Trinitate*, ibi: « Una vero est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium Jesus Christus; » habetur etiam definitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. ut in ejus Constitut. incip. *Latentur*, ibi: « In Universo Orbe primum tenet, est successor B. Petri et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Pater, et Doctor, cui in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est. » Hinc a Leone X. in Constitut. incip. *Exsurge*, fuit tamquam Hæresis proscriptus sequens error Lutheri in ordine 25: « Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus. » (26. Ecclesia enim Romana commissa Petro, et successoribus ejus Romanis Pontificibus, a quibus tamquam a Capite Romana denominatur, pro eodem sonat ac universalis, (27. unde quamvis Summus Pontifex, qui est Pastor Universalis omnium Fidelium, Romæ non sedeat, ut de facto plures non ibi sederunt, adhuc tamen appellatur semper Romanus Pontifex, et sola Ecclesia Romana appellatur *Una, Sancta, Catholica, seu Universalis, et Apostolica*, ut constat ex Constitut. incip. *Gloriosam*, edita a Joan. XXII. qui nunquam Romæ sedit, ibi: « Una est igitur Sancta, Universalis, Apostolica, atque Romana Ecclesia, extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non sinit, et Divina providentia non permittit, ut membrum, quod a totius Corporis unitate sejungitur, virtute, quæ a vertice in corpus influit, aliquantulum vegetetur. » Unde S. Augustinus *de Symbolo ad Catechumenos*, serm. 1. cap. 6. sic expresse dicit: « Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia Una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes Hæreses pugnant; pugnari potest, expugnari non potest; Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa; » Et serm. 4. *de eod. Symbolo ad Catechumenos* cap. 13. dixit: (28. « Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum, nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. » Vide Tournelium *de Eccl. quæst. 11. art. 6. p. 5.*

ARTICULUS II.

Ecclesia quoad ejus visibilitatem, indefectibilitatem et infallibilitatem.

(1. Ecclesia vera Christi est, et fuit semper absolute visibilis, ut tenent unanimiter Catholici contra Novatores, et deducitur ex pluribus Scripturæ textibus. In *Psal. enim 18.* dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum*, quod ibi de Ecclesia intelligit S. Augustinus dicens: « In sole posuit tabernaculum suum, hoc est in manifestatione posuit Ecclesiam

suam, non in occulto; » et idem habet in *Epist. 166. ad Donatistas*, ibi: « Ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ. » *Matth. 18.* præcipit Christus, ut quando Frater noster est incorrigibilis, dicamus Ecclesiae, ibi: *Dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus et publicanus.* Verba autem illa *Dic, et si non audierit*, indicant apertissime Ecclesiam esse visibilem cum ibi mandet Christus, ut ad Ecclesiam, prout ad Judicem controversiarum recurramus, eaque audiatur, quod nullimode posset fieri, si Ecclesia esset invisibilis. De Ecclesia item visibili intelligendum est illud *Actorum 18. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Grex enim, qui non videtur, nec cognoscitur, nequit a Pastore regi, et gubernari, adeoque si Ecclesia est regenda, et gubernanda ab Episcopis, non est cæcus, seu congregatio invisibilis. Item de Ecclesia visibili illud *1. ad Timoth. 3. Ut scias quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Per verbum enim illud *conversari*, denotatur clare visibilitas Ecclesiae, cum non possit quis conversari cum invisibilibus. Item de Ecclesia visibili intelligitur illud *ad Galatas 1. Persequar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam.* Cæcum enim invisibilem non potest quis persequi; et si Paulus Ecclesiam expugnabat, necessario videbat, ubi ipsa Ecclesia, seu congregatio expugnanda existeret. Item de Ecclesia visibili intelligitur illud *Actor. 13. Cum venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, et cap. 18. Ascendit Paulus, et salutavit Ecclesiam.* Hæc enim nequeunt convenire Ecclesiae invisibili.

(2. Ecclesiam esse visibilem ostenditur etiam evidenti ratione, quia illa Ecclesia est visibilis, in qua publice convocantur Concilia, sancuntur Canones, damnantur Hæreses, Pastores visibiliter docent subditos, subditi obediunt Pastoribus, Sacramenta sensibilia administrantur, etc., sed hæc omnia fiunt in vera Ecclesia Christi, ut de se patet, ergo, etc. Tum quia de ratione essentiali ipsius Ecclesiae, ut patet ex ejus definitione, est, quod sit congregatio, seu societas quædam hominum baptizatorum: atqui non potest dici congregatio, seu societas hominum, nisi in externis et visibilibus signis consistat, cum non sit societas nisi se agnoscant ii, qui dicuntur socii; nec homines se possint agnoscere, nisi societatis vincula sint externa et visibilia. Et hoc patet clarissime ex more omnium humanarum societatum, seu congregationum; nam in Civitatem, in Regnum, et Militiam, et alia hujusmodi, non aliter homines adscribuntur, quam signis externis et visibilibus. Hinc S. Augustinus *l. 19. contra Faustum* cap. 12. sic expresse dicit: « In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligantur. » Unde idem S. Augustinus *Epist. 105. n. 14.* scribens ad Donatistas ipsos adhortando ad

unitatem visibilis nostræ Ecclesiae, eos sic alloquitur: « In Scripturis discimus Christum; in Scripturis discimus Ecclesiam. Has Scripturas (o Donatistæ, o Hæretici) communiter habemus, quare non in eis, et Christum, et Ecclesiam communiter retinemus? » Et n. 17: « Ecce Scripturæ communes; ecce ubi nomines Christum, ecce ubi nomines Ecclesiam; Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? Si in ipsum Christum, quem legitis, et non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Ecclesiam negatis, quam legitis et videtis. »

(3. Christi Ecclesia visibilis, seu Ecclesia Romana Catholica, est indefectibilis, et semper duratura usque ad finem mundi. Est de fide, et habetur expresse ex cap. 16. *Matth.* ibi: *Dico tibi, Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Atque si defecisset, aut potuisset deficere, adversus eam prævaluissent, aut potuissent prævalere portæ inferi, ergo, etc. Item *1. ad Timoth. cap. 3.* dicitur: *Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis*, sed non potest deficere veritas, ergo nec ejus columna; cum deficiente sustentaculo debeat necessario corrumpi sustentatum. (4. Colligitur etiam ex aliis Scripturæ locis, ubi clara est promissio perpetuitatis, et indefectibilitatis Ecclesiae visibilis; sic nomine ipsius Ecclesiae *Matth. 28.* dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Hæc enim verba, ut de se patet, dicta sunt ad Ecclesiam visibilem, scilicet ad Apostolos et Discipulos cæteros, quos in die Ascensionis suæ Dominus alloquutus est, adeoque ex promissione Christi, Ecclesia visibilis duratura est usque ad consummationem sæculi. *Ad Ephes.* dicitur: *Dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi;* Ubi, ut vides, Apostolus clare demonstrat Ecclesiam visibilem Christi duraturam esse usque ad novissimos dies, id est usque ad finale Judicium, quando complebitur numerus electorum. Cum enim Pastores et Doctores non dentur, nisi gregi esistenti, et visibili, et ex ipso textu Pastores, et Doctores debeant esse visibiles et perpetui, grex etiam debet esse visibilis et perpetuus.

(5. Colligitur etiam Ecclesiae visibilis perpetuitas, et indefectibilitas ex variis Veteris Testamenti testimoniis, quæ perennitatem Ecclesiae visibilis clare indicant, et promittunt; *Psal. 47.* dicitur: *Deus fundavit eam in æternum*, id est Ecclesiam suam, ut ibi exponit S. Augustinus; *Isaia 61.* (quod caput intelligi de Ecclesia Novi Testamenti docuit Christus Lucæ 4. cum in Synagoga citavit, et exposuit de adventu suo

initium hujus capitis, *Spiritus Domini super me*, etc.), sic dicitur: « Et fœdus perpetuum feriam eis, et sciatur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. » Ubi vides satis aperte indicari perpetuitatem, et indefectibilitatem Ecclesiae visibilis; non enim potest esse invisibilis Ecclesia illa, seu cæcus ille fidelium, de quo dicitur: *Omnes qui viderint eos (quid clarius?) cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* *Psal. 88.* dicitur: *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in Cælo fidelis;* ibidem: *et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus, sicut dies Cæli.* *Daniel. 2.* dicitur: *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Istæ enim Scripturæ intelliguntur passim a Sanctis Patribus de vera et visibili Christi Ecclesia numquam defectura.

(6. Ostenditur etiam expresse ex Sanctis Patribus. S. Augustinus *de unitat. Eccles. cap. 12.* sic habet: « Evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura. Hoc in Lege, et prophetis, et Psalmis esse prænunciatum ipse Dominus testificatus est, qui eam cœpturam ab Jerusalem, et per omnes gentes permansuram esse prædixit; testes sibi futuros in Jerusalem, et in tota Judæa, et Samaria, et usque in totam terram, cum jam in Cœlum ascenderet, prænuntiavit..... Quisquis aliud evangelizaverit anathema sit; aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, et in sola parte Donati » (seu Lutheri, Calvini, aliorumque Protestantium) « in sola Africa (Germania, Geneva, Saxonia, Prussia, Hollandia, Anglia, et hujusmodi), remansisse dicit; ergo anathema sit, aut legat mihi in Scripturis Sanctis, ut non sit anathema. » Et idem S. Augustinus lib. 1. *de Symbolo ad Catechumenos* cap. 5. ait: « Ipsa est Ecclesia Sancta..... pugnari potest, expugnari tamen non potest; Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in Charitate sua, portæ inferorum non vincunt eam. » S. Hieronymus *in cap. 4. Isaia vers. 76.* sic dicit: « Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertitur. » S. Gregorius Magnus *in Psal. 5. Penitent. 26.* sic expresse habet: « Sancta Ecclesia in hoc sæculo a Catholica Fide nequaquam deficiet. » S. Ambrosius *lib. 4. Hexaëmeron. cap. 2.* sic ait: « Ecclesia tempora sua habet persecutionis et pacis, nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest. » S. Joann. Chrysostomus *serm. de Pentecost. tom 3.* sic habet: « Putas eam te posse lædere, sed non poteris; Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam. »

(7. Ecclesia Romana Catholica in rebus Fidei et morum est infallibilis: seu er